

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 64. (*Neovidensis* 1806. Nro. 57.)

*Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.*

De Mundo optimo

Elysium-Meum. - Die Martis 23. Julii 1806 (Neov. 15. Julii 1806.)

Facultatibus orbatus, verberibus affectus, exilio multatus, ad Torturas attractus, sub furca saepe consistere jussus — o care Candide! mundus nihilominus iste possibilium omnium optimus est.

Mag. Pangloss.

Profecto systemati Leibniczii ita addictum esse oportet, quemadmodum piae memoriae doctissimus ac eruditissimus D. Pangloss erat; hic enim quamvis exspoliatus, verberatus, pulsus, variis tormentorum generibus affectus, ac sub patibulo haud raro stare jussus, nihilominus principium suum de mundo optimo, inde a Vestphalia, regione a pernis et fabis, quae ibidem mensis apponi consueverunt, celebratissima, usque deserta imperii Thibetani in Tartaria, ubi gramine vescebatur, tueri ac defendere non dubitaverat. Interim grande discrimen intercedere radices exsuccas desertorum Tartariae inter, et Vestphalicos petasiones ac fabas neme

est, qui ambigat; neque, nisi Vestphalicus Philosophus, ullus tantae pervicaciae esse potest; ut id non pervideat. Frustra apud hodierni aevi Philosophos Vestphalicae hujus patientiae ventriculum quaesieris. Istud exordii loco sermoni meo serviat.

Sed quaero; qui mundus optimus inter omnes posibles mundos comparatus esse debet? quae ejus externa constitutio? quomodo illo fruendum? Investigatio locorum horum praesentis sermonis mei objectum constituet. Haec est, ut loquendi modo Rhetorum utar, Orationis propositio: Cuncta in mundo optimo secundum leges regulasque fiunt.

Cogitemus mundum quempiam meliorem, quam praesens sit. Non dubito, quemlibet aliam, atque aliam mundi melioris ideam vi sua imaginandi sibi efformaturum. Interim, quin desideria vota que cujusquam opere exploremus, coloniam hominum in quadam insula existere ponamus, quae in vero, quem nobis tantum effingimus, mundo optimo vitam agat. Quaeritur; quomodonam societas ista hominum comparata esse debeat?

Suapte, me tacente etiam, intelligitur; a mundo tali omne id abesse debere, quod inamoenum ingratumque est: scilicet calamitates quasvis et adversitates; cuncta bella, rixas et astus politicos; requisitiones et contributiones; caritatem rerum et sollicitudines de medis vitae; indecentias quaslibet et asperos crudosque mores; ephemerides litterarias et criticas recensiones; magnetismum et

galvanismum; omnes seu humanarum, seu pecorinarum variolarum inoculationes; politicas et dominales ordinationes; prohibitiones et mandata; quasuis corporis aegritudines a doloribus dentium usque chiragram — amores horumque blandas contestationes; omnes in vestiendi norma metamorphoses; aulicas ex officio fieri solitas informationes; processus, et possessorii incertitudinem, frigus et calorem; turbines et imbres; juscula sale supersaturata et angustas coquinas; praescriptiones medicas et pharmaca; poculenta pharmaceutica et Cataplasmata; barbitonsones et faciei tinctorum; pudorem et detractiorem; coratus et labores; militum profectiões et in hospitia illocationes; bonos ac malos spiritus; Debita et homines facultatibus lapsos, debilitates, infirmitates; angustos calceos et ocreas! ephemerides et Novorum cursores; festivas illuminationes et patientes lucernas; omnes malas rixosasque mulieres; omnes flavas aut alterius similis generis febres; omnes maritimas, terrestresque pugnas; demum cuncta vilia, et aqua corrupta vina in perpetuum e mundo optimo exulare oportet.

Beatitas mundi optimi, quem Pangloss fingebat, jam hodie ejusmodi titillantes delicias adnexas haud habet quales olim in Vestphalico ore Doctoris optimismi generari videbantur. Inter delicias hodiernae coquinae, cujus cultura sensatio gustus subtilior reddita est, delicatioris ac olim condimenti cibaria referuntur. In mundo optimo, quem

forte nobis repraesentaremus, haud quaquam assae columbae; verum aliae melioris gustus volucres; uti perdices, phasiani, coturnices, aves juniperaceae, alaudae Lipsienses etc. hiantia ora nostra involare debent. Imo neque haec palato nostro via brevissima proprie satisfacere videntur. Quippe quotidiana experientia exploratum habemus; desieria hominum intuitu optimi non modo apud diversos varia; sed et in uno eodemque mutationi obnoxia esse, ita quidem; ut, quod hodie appetitur, cras rejiciatur; quod modo delectat, non multo post affligat, taediumque creet. In nostro mundo optimo cuncta ab imaginatione pendeant, est necesse, Siquis sibi imaginetur artocreatem anserinam edere, sensatio ejus ita illico irritatur; ut eam etiam dentibus se rodere existimet. Siquis Civitatem quandam, aut personam videre cupiat, quin eo proficisci intendat, illico organo ejus sensoriis *Panorama* sistitur: urbem desideratam contemplatur, et cum persona, quam videre cupiebat, sermocinatur. Siquis belli Punici historiam nosse desiderat, is vi imaginandi Carthaginem, Exercitum Romanorum Carthaginensiumque ducibus Hannibale, Amilcare, et Scipione aliisque invicem confligentem, sibi repraesentat, atque modo hoc historiam vivacissime oculis mentis suae sistet.

At si homines tali in mundo degerent; quaeso beatine forent? Annon similiores essent Automatis, qui, *Policinellorum* adinstar, moverentur? Nulla apud illos locum atque

dominium passio habere deberet; omnis enim inordinatus affectus degenerat, mundumque optimum in deterrimum et inquietissimum convertit. Dein si nulli gradus beatitudinis existerent, omnesque pari felicitate perfruerentur, in quo, amabo, summam infimamque beatitatem consistere dicemus? Si omnium vota implerentur, nullusque Voti se damnatum haud fuisse conqueretur; numquid non summo cum taedio vitam transigeremus nostram? Si cuncti aequales rerum notitias consequerentur? si alter alterum scientia non superaret? Si omnes e Castro, quod Panglossii natale solum erat, et unde celebritas pernarum provenit, originem duceremus? Si nulla mutatio Curiositatem nostram excitaret, gustus sensum irritaret, et vitae rationem multiplicaret? Si alter alterius opera haud indigeret, nihil novi recensere sciret, in necessitatibus levamen non praestaret, seque mutuo felicitatis participes non redderent? Quam indifferentes animo in se invicem mortales essent, si pari omnes beatitate gauderent, et cunctorum possibilium votorum suorum implementum experirentur? Profecto tristes insolabilesque Matronas nostras conspiceremus, si omnibus idem intellectus, par pulchritudo, aequalis gratia inesset? — Tantum abest; ut mundus eiusmodi optimus nominari mereretur; ut potius taedium generans infelicissimusque dicendus esset; quippe nemo in eo prooedriam haberet; quia omnis eam optaret, et quilibet implementum desiderii sui

videret. O Doctor magne Pangloss! rectum tenuisti; quamvis verberatus, et infra patibulum deductus fueris, nihilominus mundus iste omnium possibilium optimus est.

Verum est; in Bonitate mundi gradus dari, qui eam aliis meliorem, deteriolem aliis reddunt. Annorum conversiones, eventusque varii mundum aut meliorem, aut deteriolem efficiunt. Post bella horrida perpessasque multiplices calamitates, et annos steriles, ac tempora mala tandem ad meliorem mundum venimus. Messem divitem annus iste nobis pollicetur; segetes ac vites optimo sunt in statu; producta omnis generis ubertatem promittunt maximam; lenis moderatusque calor frumentum et vinum ad perfectam perducit maturitatem; nullus morbus epidemicus humanum genus affligit: solum malefaustum bellum maritimum obscura adhuc nube fortunam nostram obfuscet; ast et huic providentia divina finem imponere velle videtur.

Solantur nos ea de re Litterae Londini 4. Julii exaratae. Tractatus Galliam inter et Angliam novam accepit vitam! sermo jam est de pacis Tractatore propediem Londino Parisios iter ingressuro. Nomen illius quidem non exprimitur, notantur interim nonnulli, qui ad munus hocce destinati esse censentur, quive itineri proximo necessarios adparatus faciunt. Negotia quoque Germanica propediem curiositatem nostram exsatiabunt; ad finem usque mensis hujus cuncta decidentur, futuraque grandis provinciarum Germaniae conversio notitiae publi-

tae dabitur. — In Hollandia Regia dignitas cum omnibus ad eam pertinentibus proxime ordinabitur; officia Ministrorum, altiorisque dignitatis Virorum individuis suis provisam sunt.

Inter fundamentales Regni hujus leges procul dubio id quoque referetur, quod Gubernium jam 20. prioris mensis die intuitu juramenti a Rege, et Primoribus Regni praestandi, item promulgationis legum Praepotentibus Hollandiae Statibus proposuerat, quodve hi eadem adhuc die adoptaverant. Libuit e decreto illo sequentes articulos excerpte: „Intra anni praesentis decursum Rex Ministris Primae dignitatis in Regno Viris, Aulicisque suis stipatus, Coram Praepotentibus Statibus, Consilio Status, Supremo Judiciario Foro, Nationali Rationariae officio, Militari supremo Foro judiciario, Consilio Contributionali terrestri et maritimo, Praesidibus Administrationum Districtualium, et Fororum, Nationi Hollandicae juramentum est praestiturus. Secretarius desuper protocollo ducat. Juramenti Regii hic est tenor: Juro me fundamentales Regni leges manutenturum, integritatem territorii Regni tuiturum, Religionis libertatem jurium aequalitatem, politicam civilemque libertatem observaturum, et observationem procuraturum, nulla, nisi legalia, onera impositurum, aut vectigalia exacturum, neque alium regiminis mei scopum me habiturum, quam Bonum, commodum, et honorem Nationis Hollandicae — Juramentum Regi praestandum sic

sonat: Juro obedientiam erga leges fundamentales Regni, et fidem Regi — Jam Rex ipse Leges omnes signari, promulgarique curat &c.

Argentorato 5 Julii. — A 25. Junii iudicium Criminale inferioris Rheni novo processu inuitu falsarum schedarum bancalium Vindobonensium occupatur. Concernebat sic dictam Fabricam Confluentinam. Rei, quorum dux Franciscus Grimm Mercator Confluentiae erat, partim confectionis, partim distributionis falsarum ejusmodi schedarum insimulabantur. Dividebantur in classes duas; eos videlicet, qui sinistram, et illos, qui dextram Rheni rippam incolunt. Postremi hi ante initium deliberationum Principi suo Nasso Veilburgico consignati erant. Hos inter reperiuntur Princez qui de administrata charta Fabricae Confluentinae pro conficiendis falsis schedis Banc. Vind. incusabatur. Incisorem Joan. Vallete miles olim in Legione pedestri Gallorum 53. egerat. Praeter nominatos tres, Processui eidem involuti erant tanquam schedarum harum distributores: Ludovicus Kahn (durante processus instructione mortuus) Raphael-Joseph, Baruch-Levi, omnes Confluentia; item David Aaron Moguntinus, Moyzes et Aaron uterque Göcz Confluentini, Jacobus Beer, et Grombrich; Beer uterque Moguntia cum Leone e Judaeo Russico Christiano, Abraham Mannes. Bendorfensis, Feist Fischer Vallendariensis, Marx Mayer (tres ultimi cum Princez jurisdictioni suae traditi, discussioni processuali non interfuerant)